



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

Confessarij finem, ob quem sunt creati, suis pœnitentibus proponant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

industriam & studium suum erga eos magis explicare debebunt, qui in Patres sibi Confessarios suos cooptant, ut ad eos in dubijs & controuersis suæ conscientix rebus quotidie, tum pro consilio, tum pro expiandis peccatis possint accedere. Qui quidem ad eum modum filios suos spirituales in bono proposito confirmare nitantur, ut constantissime sibi proponant potius, quam diuinam Maiestatem offendant mortaliter, non solum bona ac honores, sed etiam vitam profundere, viuumque præferant, & salutare desiderium secundum sanctissimam Dei voluntatem totam vitam suam expendere.

Confessarij finem, ob quem sunt creati, suis pœnitentibus proponant.

Quare finem, ob quem creatus est homo, eis ob oculos crebro ponant; qui quidem est seruire & obedire in hac vita diuinæ Maiestatì, & in altera in omnem æternitatem eadem frui, aliaque similia; ac prouide debere hominem exsuscitare animum, & vires sibi sumere, salutisque suæ cooperari, atque eatenus rebus omnibus uti, vel abstinere, quatenus ad hunc finem consequendum adminiculo, vel impedimento esse possint; ad extremum, huc se totos actionesque suas, atque vniuersa quæ in hac vita possident destinare, ita ut in victu, vestitu, consuetudine vitæ, negotijs, omnibusque alijs exercitationibus ita sese gerant, ut omnia quasi quædam adiumenta eis esse possint ad vltimum finem, cui conditi sunt, consequendum. Cæterum, ipsi pœniteates paratos sese exhibeant,

beant, non solum in earum rerum usu prudentiæ, ac salutari consilio Confessarij libenter acquiescere, verum etiam si ille omnia planè vel aliqua ex ijs quæ habent deferenda esse iudicet, causa salutis eorum semper ei obediant. Confessarius tamen iuxta vniuscuiusque conditionem ac statum ad finem supradictum eos diriget.

Proponat eis etiam modum orandi, vt feret singulorum capacitas, & pro religiosa consuetudine omnes nitantur bis saltem in die facere preces ad Dominum, manè videlicet cum surgunt, ac vesperi dum cubitum concedunt.

Deinde exhortabitur eos, vt singulis diebus sacrum audiant, & diebus Dominicis diuina officia frequentent.

Particulatim verò modum eis præscribet orationes mentales faciendi, siue viri, siue mulieres sint, modò tamen capaces sint: rudioribus autem ostendet quomodo Rosarium siue Corona, officium Beatæ Virginis, septem Psalmi pœnitentiales, aut similes aliæ orationes legi debeant.

Quod amplius est, omnes suæ fidei contreditos eo inducet, vt examen conscientia quotidiè faciant: tempus autem huic rei accommodatum erit, dum vesperi signo publico campanæ simul cum tota familia ad preces inuitatur, Admoneat quoque eos de frequenti confessione & communione, paulatim eos secundum B. Augustini consilium in sanctam eam consuetudinem adducat, vt diebus Dominicis communient. (*August. epist. 119. ad Ianuar. & in lib. de Eccles. dog. c. 53 & de consec. dist. 2. cap. quotidie.*)

Quando autem aliquem nacti erunt, quem ad hoc præstandum esse videant inidoneum, conabuntur eum paulatim, ac veluti per gradus quosdam eò euehere. Primò hortabuntur, vt quando omnes debent percipere venerabile Sacramentum, etiam festis toto anno celebrioribus, præter ipsum diem solennem Paschæ, quo debent omnes communicare, scil. festo Pentecostes, Assumptionis B. Virginis, Omnium Sanctorum, Natalis Domini, deinde etiam Dominica in capite Quadragesimæ, pro indulgentiis acquirendis, ac præparatione ad sanctum Quadragesimale ieiunium: paulò post superaddat aliquot dies: postea hortetur, vt singulis mensibus semel id præstet. Quod si fiat, facillè ad communionem oetidianam erit progredi.

*Quomodo dies festos impendere docere debeat
Confessarius.*

Speciali cura eos admonebit Confessarius, vt dies festos in honorem, seruitiumque Diuinum impendant, quod vt commodius fiat, auctor eis erit, vt alicui Societati sese associant, quæ ex instituto proprio dies festos in orationibus, pijsque operibus expendit: veluti est ea, quam *Scholam vitæ Christiana dicunt*. In vniuersum autem patres, matresve familias admoneat, vt familiam suam ad Dei honorem instituant, ac liberorum suorum curam eximiam habeant, qui interim dabunt operam, vt visitent scholas, vbi doctrina Christiana docetur, modo ducant vna secum eos festis diebus ad conciones, ad Vespertinas preces, ad prælectiones sacras, modo ad frequentem confessionem & communionem eos

accom-